



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

CCCLXXXVI. Transsumt einer Bulle des Papstes Sixtus IV., worin er die von seinem Vorgänger Calixt III. in Betreff der Bettelmönchsorden erlassene Anordnung wieder aufhebt, am 8. Dezember 1471.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

mit vlytger andacht biddende, gy by dem obgemelden Juwem gnedigen Heren also mit vlyte be-
arbeiten willen, Dat de ergesechte Here Hinrick vnde vnse anderen borgere, den des mede to-
kumpt, sodannes eren geledener schaden benamen vnde van derwegen entrichtet mogen werden,
vnde Juw dar Inne also ernstliken bewysen. So wy des eyn gud betruwen to Juw hebben, vor-
schulden wy vmme de ergemelten Juwe Erlamheide, de god friste In saliger woluart wolmogende,
allewege gerne, Begerende by ouer van Juwe Richtige gutlike bescreuen Antworde by dessem Je-
genwardigen. Gescreuen vnder vnser Stad Secret Am sridage Na Martini Anno etc. LXXI.

Borgermeister vnde Radmanne
der Stad Iubek.

Nach dem Originalen des Stend. Rathesarchives No. 181.

CCCLXXXVI. Transsumt einer Bulle des Pappes Sixtus IV., worin er die von seinem
Vorgänger Calixt III. in Betreff der Bettelbuchsorden erlassene Anordnung wieder aufhebt,
am 8. Dezember 1471.

In nomine domini amen. Nouerint vniuersi et singuli presentes litteras siue prefens publi-
cum Transsumpti Instrumentum visuri, lecturi pariter et audituri, Quod nos Jacobus de Muccia-
rellis de Bononia, vtriusque juris doctor, necnon curie causarum camere apostolice generalis
Auditor, ad instanciam venerabilis et religiosi viri fratris Guillermi Le Nenandi fratrum ordinis
minorum de obseruantia regulari nuncupatorum in partibus Transmontanis constitutorum procurato-
ris et Commissarii, Omnes et singulos sua communiter vel diuisim interesse putantes eorumque pro-
curatores, si qui tunc erant in Romana curia pro eisdem ad videndum et audiendum literas apo-
stolicas Sanctissimi in cristo patris et domini nostri, domini Sixti, diuina prouidentia pape Quarti,
infrascriptas transsumi et exemplari ac in publicam Transsumpti formam redigi mandari vel dicen-
dum et causam, si quam habebant rationabilem, quare premissa fieri non debebant, allegandum Per
audientiam publicam literarum contradictoriarum dicti domini nostri pape citari mandauimus et feci-
mus ad certum peremptorium terminum ad diem videlicet et horam infrascriptas. Quibus adue-
nientibus comparuit in iudicio coram nobis supradictus frater Guillermus procurator et quadam
citationis audientie pergameni cedula per eum primitus presentata, Citatorum in eadem contentorum
non comparentium in contumaciam, easdem literas apostolicas dicti domini nostre pape vera bulla
plumbea cum filis sericeis rubei croceique coloris sanas et integras non viciatas non cancellatas
nec suspectas facto et in scriptis dedit et produxit ipsasque transsumi et exemplari ac in publicam
transsumpti formam redigi mandari per nos instantanter postulauit. Tenor vero literarum earundem
sequitur et est talis:

Sixtus episcopus, seruus seruorum dei, Ad perpetuam rei memoriam. Quia in futuro-
rum euentibus sic humani fallitur incertitudo iudicii, ut quod coniectura probabili et interdum at-
tenta consideratione vtile et ad pacem et quietem tendere videbatur reperiri, damnosum ac iurgis
et dissensionibus plenum quandoque contingat, non debet reprehensibile iudicari, si Romanus ponti-
fex, que a predecessoribus suis ex causis verisimiliter probabilibus sunt statuta, cognitio, quod ex eis

dissentiones et iurgia inter personas quolibet presertim ecclesiasticas oriantur, ne noxe grauiore exitusque peiores inde prodeant, reuocat et annullat ac in statum pristinum reducit, prout in domino conspicit salubriter expedire. Dudum si quidem postquam felicis recordacionis Bonifacius papa VIII, predecessor noster, nonnullis discordiis, que inter prelatos et parrochialium ecclesiarum rectores et ordinum mendicantium, fratres per diuersas mundi prouincias constitutos exorte erant sua que incipit super cathedram constitutione finem imponere curauerat, fieratque constitutio predicta per pie memorie Clementem papam Quintum, etiam predecessorem nostrum, in concilio vienensi innouata ac per pie memorie Johannem papam XXII, similiter predecessorem nostrum, ad heremitarum sancti Augustini et beate marie de monte carmelo ordinum professores extensa, nonnulli alii Romani pontifices, etiam predecessores nostri, ut omnem inter fratres et prelatos ac Rectores prefatos contentionis occasionem de medio submouerent, dictorum mendicantium ordinum professoribus tam in genere quam in specie ex diuersis rationabilibus causis varia priuilegia aduersus constitutionis predictae tenorem et super illius declaratione et interpretatione concesserunt, Et deinde pie memorie Calisto pape III etiam predecessori nostro per nonnullos Episcopos aliosque superiores prelatos nec non parrochialium ecclesiarum Rectores exposito, quod aliqui dictorum fratrum se specialiter, que ab ipsa sede in eorum fauorem aduersus constitutionem eandem emanasse asserbant, priuilegiorum, concessionum et indultorum pretexto, ne ad dicte constitutionis obseruationem compelli possent, tuebantur, in eorundem conuentionem et parrochialium ecclesiarum Rectorum preiudicium et grauamen variaque propterea inter eosdem prelatos Rectores et sacerdotes ac fratres iurgia, contentiones et scandala exorta erant et oriebantur in dies, quibus obuiaretur, si constitutio predicta obseruaretur et per eundem Calistum predecessorem accepto, quod a nonnullis ex ipsis prelati, Rectoribus, curatis et sacerdotibus contra tenorem prefate constitutionis dictis fratribus graues iniurie ac molestie inferebantur, idem Calistus predecessor, cupiens huiusmodi iurgis contentionibus et scandalis obuiare, constitutionem et illius innouationem et extensionem predictas iuxta illarum seriem et continentiam in omnibus et per omnia seruari debere statuit et ordinauit ac quecumque priuilegia, concessiones et indulta, si qua a quibusuis Romanis pontificibus predecessoribus suis aduersus constitutionem et innouationem ac declarationem predictas sub quacunque uerborum forma et cum quibusuis irritantibus decreti et talibus, quod eis per quasuis alias literas apostolicas etiam facientes plenam et expressam ac de uerbo ad uerbum de illorum totali tenore mentionem ac aliis similis effectus uel maioris cautele derogatoriis clausulis qualitercumque derogari nequiret, siue motu proprio siue quouis respectu pro quibusuis ordinibus seu coram domibus et locis in genere uel specie emanassent, illorum usus quantumcunque continuata possessione nullatenus obliuente cassauit, reuocauit et annullauit ac decreuit nullius esse roboris uel momenti prout in eisdem priuilegiis et quibusdam literis ipsius Calisti predecessoris super statuto et reuocatione huiusmodi confectis et libris cancellarie apostolice de illius mandato descriptis plenius continetur. Cum aut sicut experientia, efficax rerum magistra postmodum monstrauit, et nos ipsi tunc temporis in minoribus constituti, dum generalatus ordinis minorum fratrum fungebamur officio, uidimus, et ipsius Calisti predecessoris litteris et priuilegiorum reuocatione preter ipsius Calisti predecessoris intentum quam plurima iurgia, lites, dissentiones et scandala exorta varieque appellationes pro eorundem fratrum parte ad sedem apostolicam interposite et querele delate fuerint ac propterea idem predecessor sancte Romane ecclesie uicerecancellario et in literarum apostolicarum expeditione sibi assistentibus abbreviatoribus, ne dictarum litterarum copiam cuiquam traderent, inhibuerit dubitaturque uerisimiliter, quod nisi littere predictae Calisti predecessoris prefati reuocen-

tur, exinde in dies maiora sint scandala prouentura; Nos quarumcunque occasione et dependentium ab eisdem tam in Romana curia quam extra eam pendentium coram quibuscunque iudicibus tam ordinariis quam a sede apostolica uel alias delegatis in quacumque instantia etiam appellationis status, iudicium ac colligantium nomina et cognomina dignitatis presentibus ac expressis habentes, Illasque ad nos harum serie aduocantes et litem penitus extinguentes ac volentes huiusmodi contentionibus, discordiis et scandalis quantum possumus obuiare, motu proprio, non ad ipsorum fratrum uel alterius pro eis nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, eiusdem Calisti predecessoris litteras predictas et in illis contentam priuilegiorum concessionum et indultorum huiusmodi reuocationem et si qua desuper ab aliis predecessoribus nostris eiusdem Calisti successoribus Romanis pontificibus approbationes emanarunt, auctoritate apostolica presentium tenore excerta nostri scientia reuocamus, cassamus, irritamus et annullamus et de libris ac Registris quibuscunque deleri mandamus ac priuilegia concessionis et indulta predicta illa omnia qualicunque sint, ac si de verbo ad verbum infererentur, presentibus pro expressis habentes, in suum plenum et pristinum robur, necnon prefatos fratres mendicantes, quibus concessa sunt in genere et in specie, quoad illorum totalem in preteritis presentibus et futuris negociis consequendum effectum in pristinum et eum statum, in quo uidelicet erant, antequam littere Calisti et reuocatio huiusmodi quomodolibet emanarent plenarie restituimus, reponimus et reintegramus, decernentes ea omnia in suis prioribus viribus et efficacia fore et effectum etiam quoad preterita etiam pro appellatione pendentia negotia fortiri debere in omnibus et per omnia perinde, ac si prefate littere Calisti predecessoris et in illis contenta reuocatio predicta nullatenus emanassent, necnon irritum at inane, si secus super hiis a quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter contra illa attemptatum forsitan est, hactenus uel in posterum contigerit attemptari, et nichilominus venerabilibus fratribus nostris Bessarioni Sabinensi minorum et Guillermo Ostiensi heremitarum sancti Augustini et beate marie Carmelitarum Alano Penestrensi predicatorum Episcopis ordinum predictorum nunc et pro tempore existentibus protectoribus in Romana curia sancte Romane ecclesie Cardinalibus per apostolica scripta mandamus, quatenus quilibet eorum per se uel alium seu alios premissa ubi et quando opus fuerit ipsique desuper fuerint requisiti solemniter publicans et ordini sue protectioni commisso ac illius professoribus in premissis efficacis defensionis presidio assistens, faciat eos pacifica possessione uel quasi exemptionum et priuilegiorum predictarum gaudere, non permittens eos contra illorum ac cuiuscunque eorum tenorem per locorum ordinarios et parrochialium ecclesiarum Rectores ac quoscunque alios indebite molestari, Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo ac legitimis super his habendis seruatis processibus eos quotiens opus fuerit iteratis uicibus aggrauare procuret, innocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. etiam predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus, quibus cauetur, ne quis extra ciuitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra vnam dietam ad iudicium euocetur, Seu ne Iudices a sede apostolica deputati extra ciuitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere ac alii vel aliis uices suas committere presumant, et de duabus dietis in concilio generali ac aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque, Seu si locorum ordinariis et parrochialium ecclesiarum rectoribus uel quibusuis aliis communiter uel diuisim a sede prefata indultum existat, quod interdicti, suspendi uel excommunicari aut ultra uel extra certa loca ad iudicium euocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali uel speciali, cuiuscunque tenoris existe-

rent, per quam presentibus non expressam uel totaliter non insertam huiusmodi dictis protectoribus facte concessionis explicatio impediri possit quomodolibet uel differi et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostre aduocationis, extensionis, reuocationis, cassationis, irritationis, anullationis, mandati restitutionis, repositionis, reintegrationis decreti et voluntatis infringere uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Rome, apud Sanctum petrum Anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, septimo Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo. Quibus quidem litteris apostolicis per nos diligenter inspectis dicti fratris Guillelmi procuratoris supplicationibus annuentes easdem litteras transsumi et exemplari ac in publicam Transsumpti formam redigi mandauimus nostramque ordinariam et dicte curie Casuarum camere apostolice interposuimus pariter et decretum, volentes et eadem auctoritate decernentes, quod huic presenti publico Transsumpti instrumento sicuti eisdem litteris originalibus in iudicio et extra plenaria fides adhibeatur. Datum et Actum Rome, in domo habitationis mee sub proprii sigilli dicte curie appensione, Anno a natiuitate domini Millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, Indictione Quinta, die vero quarta mensis Junii, Pontificatus prefati Sanctissimi domini nostri, domini Sixti pape Quarti Anno Primo, presentibus ibidem discretis uiris magistris Antonio de vulterris et Cincio de Viterbio, dicte curie notariis, Testibus ad hoc vocatis et rogatis.

Nach dem Originale des Stendalschen Ratharchives.

CCCLXXXVII. Ablassbrief des Papstes Sixtus für das Catharinen-Kloster in Stendal,
am 17. März 1472.

Sixtus, episcopus, seruus seruorum Dei Vniuersis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter seruiatur de abundantia sue pietatis, que merita supplicum excedit et vota seruientibus sibi multa maiora retribuit, quam ualeant promereri, nihilominus tamen desiderantes domino reddere populum acceptabilem et bonorum operum sectatorem fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectiuis muneribus indulgentiis uidelicet et remissionibus ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cum itaque sicut accepimus monasterium monialium sancte Catharine opidi Stendal ordinis Sancti Augustini Halberstadenensis dioceseos nouiter fuerit erectum illiusque structure et edificia ex redditibus et facultatibus dicti monasterii, qui tenues sunt et ad hoc non sufficiunt, debite perfici et manuteneri seu conseruari ac predicti monasterii Abbatissa pro tempore existens et conuentus ex eis se commode sustentari non possint, sed Christi fidelium suffragia sint eis quam plurimum oportuna, Nos cupientes ut ecclesia ejusdem monasterii congruis honoribus frequentetur et ipsum monasterium in structuris et edificiis huiusmodi perficietur et manuteneatur siue conseruetur et ipsi Christi fideles eo libentius causa deuotionis confluant, ad eandem ecclesiam ac ad perfectionem et manutentionem seu conseruationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se resectos; de omnipotentis dei misericordia